DISSERTATIO

DE

PRAESTANTIA CHIRURGIAE

AUCTORE

HENRICO PALMATIO LEVELING

PHIL. & MED. DOCT. SERENISS. DUCIS & ELECT. BAVAR. CONSIL. ACT. IN UNIVERSITATE ANGLIPOLITANA ANATOMES, CHIRURGIAE & INSTITUTIONUM MEDICARUM P. P. O. ACAD. CAESAR. NAT. CURIOS. &. ELCT. BAV. SCIENT. NEC NON SOCIETATIS MORAL. OECON. BURGHUSIANAE MEMBRO.



Euſtadii,

APUD JOAN. PAPT. WIDENMANN,

Et Soc. Bibliop. 1781.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

ORATIO ACADEMICA.

Plurimum Reverende Praenobilis ac Magnifice Domine Rector, Illuſtriſſimi ac generoſiſſimi Domini Comites, perilluſtres ac generoſi Domini Barones, Patres academici ampliſſimi, Caeterique Domini Auditores ſuis quique titulis venerandi!

SERENISSIMI PRINCIPEM NOSTRUM ELECTOREM AC DUCEM MAXIMILIANUM III. poteſtate ſuprema ita uti, ut commercia & opificia & agri cultus, & felicis vitae praeſidia apud Populum ſibi ſubjectum quotidiana capiant incrementa, teſtem habemus

Bavariam omnem; eam quoque Sereniſſimi Principis noſtri praerogativam ſummam eſſe, quod ſubditorum animi divina ejus munificentia tanquam a benefico Sole novos ad fructus concaleſcant, praeter alia complura praeſens quoque, quod oculis noſtris exhibet *praeſtantiſſimus Medicinae Licentiatus* PHILIPPUS FISCHER, exemplum demonſtrat. — Hic enim cum a ſumma ingenii capacitate, ac ſingulari Philoſophiae & Matheſeos ſcientia, amplaque linguarum peritia iam ante, quam ad artem Apollineam accederet, probe inſtructus eſſet, omnem nati factique ad bonum Medicinae EQUITIS WOLTTERI attentionem excitavit. Quod autem Sereniſſimi Electoris noſtri Archiater non attentione ſolum, ſed ſua etiam benevolentia, exiſtimatione & amore praecipue dignum cenſeret, ſingularis ille amor fuit, & ardor conſtantiſſimus, quo Fiſcherus omnia in Athenaeo noſtro eluctatus repagula, & Medicinam ſimul & Chirurgiam arctiſſimo nexu conjunxit, nunquam per omnem vitam diſſolvendo.

Ex magni nembe VESALII ſententia Excellentiſſimus facultatis noſtrae Director Artis Medicae tyrones modis omnibus ſemper hortandos voluit, ut Graecorum more, ac quemadmodum artis natura & ratio praecipit, manus quoque curationi admoveant, ne laceram deinceps Medicinam in communis vitae perniciem convertant.

Atque eam ob cauſam ad rem medicam nihil a ſe utilius poſſe conferri ratus, quam ſi egregius adeo & medici & chirurgici ſtudii cultor jam in utriusque artis ſpes optime efformatus apud exteros quoque nova ſcientiae ſuae incrementa conquireret. Addixit ad hoc intentiſſimus ad omnium ſcientiarum incrementa, & ſingulari hoc juvenis medici fervore

vore pro ſua erga ſcientias affectu laetus quaſi PRINCEPS & ELECTOR noſter clementiſſime liberales ſumtus: viſitavit igitur Fischerus literario itinere celeberrimus per Galiam, Angliam, Scotiam, Belgium & Germaniam Academias, atque acutiſſima ingenii & oculorum acie ubique ſcrutatus ſingula, quidquid in celeberrimis ſaeculo noſtro Chirurgis aeque ac Medicis diſperſum invenit, ad artium iſtarum atque commune generis humani emolumentum unus collegit. Rediit tandem a litteraria ſex annorum profectione dicam, an obſervatione, & continuo Chirurgiae & Medicinae ſtudio in patriam, doctorali a nobis condecorandus laurea, ulterioribus poſtea a Sereniſſimo illius & communi noſtro Maecenate clementiſſimo, in utilitatem Patriae & artis aſclepiadeae honorem beneficiis cumulandus. Ipſius igitur hujus actùs ſolennis natura atque conditiò cum brevem a me orationem poſcat, mihi quoque argumentum praeſcribere atque exigere videntur, ut brevi oratione complectar, quantum ſubſidii a Chirurgia & exſpectet & obtineat Medicina, quantaque propterea emolumenta patria ſibi ab eo promittere poſſit, qui per multa itinera in occaſionem ubique inquiſivit, utramque ſcientiam docto & arcto foedere conjungenti. Et vero quid & huic tempori & omnino meo muneri facere convenientius poſſem, quam ut, quae mihi ſtudia celebritatis aliquid, cum aliis in locis, tum hac ipſa in Academia pepereunt, iis quoque viciſſim oratione mea ſplendoris ac claritatis quid afferre coner? Favete! — —

In artis Aſclepiadeae natales ſi paulo attentius inquirimus, Aesculapium invenimus primum fuiſſe, qui rudem adhuc & vulgarem ſcientiam paulo ſubtilius excoluerit; quod autem tantam dignitatem, & maximam populo-

 rum

rum aeſtimationem primis mox in incunabulis obtinuerit, Chirurgiae potiſſimum in acceptis eſſe referendum latiniſſimi Celsi verbis oſtendere liceat(a): "Aesculapii filii „ Podalirius & Machaon ait, bello trojano Agame„ mnonem ſecuti non mediocrem opem commilitonibus ſuis „ attulerunt, quos tamen Homerus non in peſtilentia „ neque in variis generibus morborum aliquid contuliſſe „ auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamen„ tis mederi ſolitos eſſe, propoſuit; ex quo apparet, has „ partes Medicinae ſolas ab his eſſe tentatas easque eſſe „ vetuſtiſſimas." Juſtiſſimae igitur ſunt Vesalii querelae (b) „quando ingeniorum fons Homerus virum medi„ cum multis praeſtantiorum eſſe affirmat, & cum univer„ ſis Graeciae poetis Podalyrium & Machaonem celebrat, „ hi divi Aeſculapii filii non ideo praedicantur, quod fe„ briculam & que ſola Natura & abſque Medici auxilio „ levius quam illo adhibito ſanat, removerent, hominumve „ palato in reconditis deploratisque effectibus ſubſervirent; „ ſed quia luxationum, fracturarum, vulnerum, & reliqua„ rum continuitatis ſolutionum, ſanguinisque fluxus curatio„ ni potiſſimum praeeſſent, ac ſpiculis, telis, atque aliis „ ejusmodi malis, quae bella inprimis inferunt, diligentem„ que medici operam ſaepe exicunt, generoſiſſimos Aga„ memnonis milites liberarent." Et ſane uti immortalis Newtonus colligendo obſervationes, inſtituendo experimenta, comparando illa inter ſe, concludendo ex illis lynceis oculis in arcana Naturae penetravit, ita etiam chirurgiae penu dives Aeſculapii familia, quando majori ſtudio ut Celsus ait (c) litterarum diſciplina agitari coepit,

Hip-

(a) De Medicina in Praef. Lib. I.

(b) De Fabr. corp. hum. in praef.

(c) L. ante citato.

Hippocratem Coum primum quidem ex omnibus memoria dignis dedit, qui abditas morborum cauſas obſervatione perſcrutatus eſt, morbosque ipſos curavit, non minoribus in Chirurgiam, quam in Medicinam meritis. Enim vero in Chirurgiae exercitio manu ad detegentas, oculis ad perſpiciendas, patientia ad addiſcendas, fide ad deſcribendas partium affectiones utimur; his dein adminiculis ad intrinſecos affectus adhibitis in obſcuris lucem, in dubiis certitudinem nanciſcimur. Si enim, maſcule ita dicende Ill. Gaubio (d) "Vita, ſanitas, morbus, mors ſtadium me-
„ dicum naturae humanae in hoc terrarum orbe abſolvunt,
„ utrumque tamen genus pro latiore vocabuli ſignificatio-
„ ne naturale eſt, & ſuas agnoſcit cauſas phyſicas deter-
„ minatas, quibus naſcitur, durat, viget, minuitur, deſinit
„ ſecundum diverſitatem cujusque variantes, etiam contra-
„ rias tum homini inſitas tum foris advenientes"; malorum prius cauſas dignoſcat diſtinguatque Medicus, neceſſe eſt, antequam illis mederi valeat; has autem vix ac ne vix quidem niſi chirurgia duce optime inveſtigari, facile probavero. Mox citatus Ill. Autor in pathologico ſuo opere & ſeris nepotibus pretioſo (e) triplex eſſe virium genus ſtatuit; mentem ſcilicet, orgaſium, & extrinſeca, ex quibus ſanitatis & morborum cauſae profluant. In his autem omnibus inveſtigantis potiſſimum Chirurgiam demonſtrabo facem praeferere, a quo Medicus ſibi lucem accendit pro evolvendis intricatiſſimis etiam morborum cauſis. Et ut de viribus mentis in mutando & pervertendo corpore primo agam: Chirurgus graviter vulneratum ſecundum leges artis optime tractat, pulcrumque, ut illud ars expetit, vulnus eſt, ita, ut in vado omnia eſſe adſtandes cum aegro-

(d) Inſtitut. patholog. in introd. §. I. pag. I.
(e) Ibid. §. 7, pag. 3.

aegroto autument, cantante etiam victoriam Chirurgo. Sed ecce! audito ex improviſo triſti nuntio, vel commoto ex ira animo aegri, vulnus in altera deligatione flaccidum apparet gangraena & morte vicina ſtipatum. Nonne hoc exemplum chirurgicum docere Medicum debet, quantum in mutando vel opprimendo corpore mens valet?

Praetera dum in chirurgicis videmus varias humorum congeſtiones, alterationes, in diverſum tumorem exterius degenerantes, quid in ſimilli caſu fieri interius debeat, non ſuſpicamur ſolum, ſed & latens ſimile vitium ſatis certo inferimus. Cum Chirurgia quoque partium a ſe degenerantium exempla nobis exhibet, nonne ex analogia ad ſimilem intrinſecarum & oculos noſtros fugientium partium degenerationem recte concludimus? Quid plus lucis affundit in ſcrutinio morborum, qui ex vitio compoſitionis naſcuntur, quam frequentiſſima in chirurgicis obvenientia continui ſoluti exempla? Chirurgia etiam ſuppeditat optima exempla inertiae & ad agendum ineptitudinis in anchyloſi, ex quibus rigorem corporis univerſalem facile dijudicat Medicus. Partium ſeceſſus in luxatione, mutationes loci in herniis & in prolapſu ad Chirurgiam pertinent ſimulque admonent Medicum, ut ad ſitum viſcerum, utut in cavo incluſorum, in ipſo tamen cavo, quod frequentiſſimae teſtantur hiſtoriae, aprimae quoad locum & ſitum mutabilium attentior ſit. Partium inter ſe conſpirationes quantam non requirunt medentis attentionem, & quid de harum exiſtentia nos certiores reddidit, quam ipſa penus chirurgica: in fracturis ſcilicet variis cranii & affectibus encephali, hepar, primasque vias ſimul afficientibus? & ſic dum ex minima partis punctura ob ſemidiſſectum nervum dirae per omne corpus regnant convulſiones, hae indices

ſunt,

ſunt, quid ex analoga intrinſeca laeſione etiam ſine vulnere contingere poſſit. Simplex paronychia vehementiſſima ſaepius febri ſtipata inferre docet: leviſſimis etiam intrinſecis affectionibus vires Naturae ad ſummum incitari.

De illis autem, quae foris homini admoventur nocivis poteſtatibus chirurgia denuo evidentiſſima exhibet argumenta, quorum adminiculo occultos & periculoſos corporis affectus aeſtimare facilius Medicus poteſt: ſic differentes trepanationis vel in privata domo, vel in noſocomio inſtitutae effectus in illa felices & in hoc lethales, quid aer ſanus in curanda, & inquinatus in opprimenda valetudine valeat, evidentia Medico praebet teſtimonia ad varias aeris conſtitutiones tam ſalubres, quam inſalubres dijudicandas. Vulnus illud, quo exiguus ſerpens *Seps* dictus militem Catonis laedebat, cum exercitum per Libiae deſerta duceret, occaſionem fecit, deleteriam quarundam rerum facultatem diſpiciendi; ſicuti enim in infelici hoc milite, uti Ill. SWIETENIUS (f) aptiſsime ex ANNAEO LUCANO refert:

Plagae proxima circum
Fugit rapta cutis, pallentiaque oſſa retexit,
Jamque ſinu laxo nudum eſt ſine corpore vulnus:
Membra natant ſanie, ſurae fluxere, ſine ullo
Tegmine poples erat, femorum quoque muſculus omnis
Linquitur & nigra diſtillant inguina tabe

Ita etiam hoc vulneris exemplo edocti medici non mirantur, in morbis naſci non nunquam, quod naturae humanae adeo adverſum eſt, ut partem corporis, ad quam

 depo-

(f) Comment. in Boerh. Aphor. Tom. I. pag. 752.

deponitur, illico faciat emori. Si igitur teſte Ill. Gaubio (g) praecipuum univerſae Medicinae fundamentum in ipſa hominis natura ſitum eſt, & doctrina omnis medica bonae frugis ad hanc componi normam debet, & quid Natura faciat aut ferat, ex fideli obſervatione quam diligentiſſime enarrari; Chirurgia opportunam iterum ſuppeditat occaſionem obſervandi, quomodo ſuis haec ſola viribus ſine Medico plerumque tueatur ſanitatem, morbisque medeatur. Quando enim inflammationis gradus, variosque ejusdem exitus obſervat chirurgus, in compendio fere videt omnia naturae molimina, quae jam in motus febriles inſurgit, ut viribus efficacioribus obſtacula tollat, felicique reſolutione pericula mortis aufferat, vel ad hanc moliendam impar ſuppuratione partem perdat, ut totum conſervet; aut actuoſa nimium ſe ipſam deſtruit, inductoque ſphacelo irrita facit omnia artis molimina. Tantum autem ad dignoſcendos & dijudicandos morbos acutos ex illis, quae inflammationem extrinſecam concomitantur, phaenomenis lucratur ſubſidii Medicus, ut illa etiam in intricatiſſimis morborum acutorum internorum ambagibus totidem veluti ſecura offerant fila ariadnea. Nec minora ſunt emolumenta, quae pro medicamentis, medendique ratione hoc ex fonte profluunt. Invaluit equidem, ut cum Ill. de Gorter (h) loquar, opinio, datum medicamentum ſua virtute agere in partibus interioribus, vix quidquam in partibus externis praeſtare, dum tamen partes utraeque ex eodem fonte hauriant humores, omnesque communem agant vitam.

Sed

(g) Inſtitut. Pathol. §. 18.

(h) Chirurg. repurg. in Praef.

Sed hoc argumentum tractare fuſius vetat inſtituti ratio & tempus. Veriſſimo igitur magni Swietenii (i) effato concludere liceat: „ ſummum uſum habet ad latentes „ morbos in interioribus corporis partibus cognoſcendos & „ curandos, eosdem conſiderare, ubi externas corporis partes occupant; ſenſibus tunc omnia patent, & facilius in- „ telliguntur. „ Hinc eſt, quod ab iis ſolum, ita ſtatuente Muschenbroeckio (k) verum detegatur, quorum ratiocinia a realibus & in natura exiſtentibus experimentis progrediuntur: „ qui igitur, quod recte monet Ill. de „ Gorter (l), latentem morbum cognoſcere ſatagit, eum „ oportet bene prius perſpectos habere ſimiles morbos ex- „ ternos, in quibus ad oculum non ſolum patent cognitio- „ nis criteria, ſed & omnes mutationes evidentes ſunt, & „ melius cognoſcitur, quaenam medendi methodus prae „ caeteris plus valeat ad medendum. „ Stetit etiam haec animo ſententia maximi Vesalii (m): Anatomen, illique innixam Chirurgiam nobiliſsimas eſse Medicinae partes, nulloque modo ab ea arte ſeparandas, quae morbis curandis occupatur. Quare in praefatione ad divum CAROLUM V. IMPERATOREM vehementer ita queritur: „ Nihil peſtilentius irrepere potuiſset, quam quod aliquan- „ do & praecipue poſt Gothorum illuviem, Manſoremque „ Perſiæ regem (ſub quo Arabes nobis adhuc cum Grae- „ cis merito familiares vigebant) medicina eo uſque lace- „ rari coeperit, quod primarium ejus inſtrumentum, manus „ operam in curando adhibens, ita ſit neglectum, ut ad

 „ plebe-

(i) Comment. in Boerh. Aphoriſm. Tom. I. p. 217.

(k) Eſsays de Phyſ. Tom. I. pag. 111.

(l) Chiurg. repurg.

(m) v. Praef. Boerh. et Albini in Veſal. apera.

„ plebeios, ac diſciplinis medicae arti ſubſervientibus neuti-
„ quam inſtructos id quaſi videatur eſse demandatum. „ Quo ſcrupuloſius etiam in omnem hiſtoriam medicam inquiro, medicos omnes, qui chirurgiam ſimul excoluerunt, video & ſuo ſaeculo fuiſse non ſolum praeſtantes, ſed et omni poſteritati maximos. Hippocrates quam perite chirurgiam exercuerit, relicta ejus ſcripta abunde loquuntur. Potiſsimum laudes Galeno ideo tribuit Vesalius (n), quod pergamenſium gladiatorum curam ſibi ſoli commiſsam eſſe ſubinde glorietur; neque ingraveſcente jam aetate ſimias ab ipſo ſecandas famulorum opera excoriari voluerit; crebro inculcet, quantum manus artificio oblectatus ſit, quamque ſtudioſe id cum caeteris Aſiae medicis exercuerit. Celsus quantum in Medicina Nomen! ſed quam excellens etiam in chirurgicis! Avenzoar, qui Alchindi, aliorumque variis theoriis ſpretis ad experientiam medicos revocavit, inſignis non ſolum fuit practicus, ſed quod chirurgiam praeter morem ſaeculi una exercuerit, potiſsimum commendatur (o). Jacobus Berengarius (p) carpenſis, vir ſummus inter primos autor methodi fuit, qua hodiedum lues venerea expugnatur ope argenti vivi, verus Anatomes ex corporibus humanis, ne Eustachio quidem diffitente, inſtaurator: ſummopere illum chirurgiae curam habuiſſe chirurgicus ejus liber de fracturis cranii teſtatur. Marcus Aurelius Severinus Cratichena Tharſenſis, Profeſsor, medicus chirurgus Neapolitanus, utut in medicina eſset factis efficax et felix, ad chirurgiam nihilominus magis animum

(n) In citat. praef. ad Imp. Carol. V.

(o) Method. Stud. med. Tom. II. p. 837. & 838.

(p) Ibid.

mum adplicuit (q). Quantae laudes Gabrielis Fallopii mutinenſis, quod Anatomiae et Medicinae non ſolum fuerit peritiſsimus, ſed et in chirurgicis dexterrimus (r). Guilielmi Fabricii Hildani in inveniendo felicis, in tentando animoſi laudes tantae ſunt in chirurgia, quantae in medecina. Et quis ignorat Rolfinkii in rem medico-chirurgicam merita, qui fere totam Europam viderat, inſtrumentorum etiam chirurgicorum magnum apparatum collegerat, chirurgiam artemque obſtetricandi cum magno plauſu exercuerat? Qui autem artis chirurgicae limites longius quam ad applicationem manus extendi perpenderit, hic non mirabitur, a viris praeſertim ſtudio liberalium artium imbutis hanc artem omnium optime pertractari. Veriſſimum enim eſt illud Academiae regiae parisinae chirurgicae effatum: doctrinam profundam baſin facere hujus artis, et ſimul ab illa repetendum eſſe ejus meritum non minus, quam in addiſcendo difficultatem (ſ). Cum igitur tam arcto et Medicina et Chirurgia vinculo ſint connexae, artis medicae progreſsus ut potiſsimum a chirurgico-medicis proficiſcerentur omnino, neceſsum fuit: hinc quando eadem illa chirurgiae Academia artis ſuae ſplendorem ab eruditiſsimis et doctiſsimis Lanfranc, Berengario, Vido Vidio, Severino, Fallopio, Vesalio, Aquapendente, Paraeo, Magato, Fabritio, Quillimeau, Pigray, Demarque, Theverin, Scultetto repetit, ſollicite eadem advertit, plures inter hos viros in chirurgicis non minus quam medicis excelluiſse,

(q) Ibid.

(r) Ibid.

(ſ) Mem. de l'Acad. royal. de chirurg. Tom. I. dans la praef. p. XXIX.

luiſse, pluresque aliarum nationum univerſitates profeſſuram Chirurgiae in ipſa facultate Medica retinuiſse inquilinam (t). Et quae hujus noſtri ſaeculi non fuit et adhuc eſt in medico-chirurgis felicitas! Immortalis BOERHUAVIUS ſi non manu, qua tamen theoria & eruditione chirurgiam illuſtraverit, quantisque illam obſervationibus magnus ejus commentator SWIETENIUS auxerit, teſtem appello primum Commentationum tomum. RAU, HEISTERUS, PLATNERUS et ALBINUS quanta et in medicina et in chirurgia nomina! Quanto inſuper ingenii acumine de chirurgicis morbis ILL. MORGAGNUS ſcripſit (u)! Quam immenſa eruditione rem chirurgicam pertractavit adhuc nuperrime magnus HALLERUS! (w) Et ut viva exempla adducam, quanta ILL. AB HUMBOURG apud Vindobonenſes, ILL. LOBSTEIN apud Argentoratenſes, ILL. RICHTERI Goettingae, et Herbipoli ILL. SIEBOLD medica et anatomica eſt eruditio, tantam manus in uſu ipſo eſse dexteritatem, fama publica loquitur. Gratias igitur meretur aeternas ILL. EQUES WOLTTERUS glorioſe MARTIANI exemplum aemulatus, decus et praeſidium artis apollineae in Bavaria; ſicuti enim in Sicilia teſte ILL. HALLERO (x) FRIDERICUS II. omnium primo Anatomen reſtauravit, ſancta lege, ne quiſquam ad Chirurgiam exercendam admitteretur, niſi Anatomen didiciſset, MARTIANUS vero Proto-medicus obtinuit, ut omni quinquennio Anatome adminiſtraretur, quam omnes Medici ac Chirurgi frequentarent; ſic etiam felix pro Anatome & Chirurgia epocha in Bavaria

(t) Libr. ante citato.

(u) De Sed. atque Cauſ. morb. Lib. IV.

(w) Biblioth. chirurg.

(x) Meth. Stud. med. Tom. I. p. 498.

varia eſt fortunatum et glorioſum MAXIMILIANI TERTII regimen, et WOLTTERUS Protomedicus hic vir hic eſt alter MARTIANUS, qui a munificentia optimi Principis emolumenta pro facultate et pro omni re medica in Bavaria obtinuit ſane maxima. Licet enim univerſitas Anglipolitana per tria jam, et quod excurrit, ſaecula litterarum et ſcientiarum praeſtantia inter celeberrimas Europae ſcholas et ſuum ſibi vendicaret locum, medicosque inſuper praeſtantes AGRICOLAM, GRILLIUM, VORWALTERUM, MORASCHUM, TREYLINGIUM, NEEFFIUM etc. numeraret; tamen ſub MAXIMILIANO primum TERTIO munificentiſsimo litterarum Maecenate Anatomes et Chirurgia longe maxima accepere incrementa. ILL. EQUES WOLTTERUS a Sereniſsimo noſtro Principe obtinuit, ut mandata in omnem Bavariam expediantur, vi quorum mortis paena plexorum cadavera theatro anatomico anglipolitano tradantur, noſocomiique militaris defuncti noſtros in uſus ſervire poſſint: Profeſsori Anatomiae nova Cathedra Chirurgiae demandata eſt, apparatu etiam inſtrumentorum liberaliter comparato. Fuit autem ea praecipue facultatis noſtrae felicitas, ut Profeſsorem haberet LEONHARDUM OBERMAYERUM, qui nobile opus, quod ILL. WOLTTERUS noctes diesque mente agitabat, conderet. Hic OBERMAYERUS commune bonum promovere ardens, enixus eſt atque emerſit, docto enim conjunxerat foedere cum Medicina Chirurgiam, primusque fuit, qui quot annis Anatomen adminiſtraret omnem, publicosque operationum curſus non ſolum inſtitueret, ſed et manum vivis admovendo egregii apud nos lythotomi nomen acquireret; praematuro ſane nobis fato ereptus, heu jacturam! Quanto autem ardore opus inceptum hucusque fuerit continuatum, nemini veſtrum, Patres Academici, ignotum eſse poteſt. Ad clariſsimum igitur & doctiſsimum

ctiſsimum Dom'num Licentiatum mea devolvitur oratio, emolumenta, quae patria ab ipſo expectare poſsit, ut exponat.

Nihil magis polire ingenium, dixit olim Philoſophus, quam peregrinari apud omnes populos; hinc malum judicium non tam facile feret, qui plures vidit mores, quam qui patriae ſuae mores ſolos viderit. Ita pariter ex hac Philoſophi ſententia infert ILL. HALLERUS (y): in medicina nimis arcta erit eruditio, niſi variorum medicinam, Graecorum, Italorum, Indorum, Perſarum etc. legamus. Rara autem felicitate non ſolum obtigit clariſsimo Domino Licentiato Fiſchero, ut per quatuor annos egregii mei Anteceſsoris ANTONII OBERMAYERI fratris LEONARDI familiaritate et amicitia frueretur, tantoque ſub praeceptore fundamenta Anatomes et Chirurgiae poneret firmiſsima, et in reliquis medicinae partibus ex veſtris inſtitutionibus, Patres academici, Collegaeque honorandiſsimi profectum faceret et in theoria et poſtea in praxi eminentem; ſed et ex munificentia Sereniſsimi Electoris annis academicis ſex fere alios annos peregrinationis ſubjungere potuerit; quid igitur non ab ipſo expectare poterimus? Eruditione medica iam dives cum patriam reliquit, Argentoratum 1771 profectus per duos ibidem commoratur annos, eruditiſsimi et inter Medicinae Profeſsores hoc ſaeculo ſpectatiſsimi SPIELMANNI, nec non praeſtantiſsimi anatomici LOBSTEIN meorum etiam Praeceptorum non ſine gratitudinis affectu nominandorum diſcipulus. Ex CELSO (z) autem bene memor: medendi ſcientiam ſapientiae partem haberi, et morborum cura-

(y) Method. ſtud. med.

(z) Loco ant. cit.

curationem et rerum naturae contemplationem ſub artis medicae parentibus jam natam eſse, occaſionem laetus amplexus eſt, apud celeberrimum Hiſtoriae naturalis Profeſſorem HERMANN hanc quoque partem magis excolendi. Diſcipulus ibidem inſuper in chirurgicis dexterrimi de RICHE Patris, tum in deligationibus non minus, quam in omni Doctrina chirurgica verſatiſsimi PUSCH, in praxi chirurgica verſatiſsimi BOECLER, ejusque digniſsimi adjuncti MARSCHALL, horum virorum, cum nota omnibus dexteritate operarentur, ſodalis aſsiduus. Verſus finem 1772. Argentoratenſes relinquit, et iter Pariſios ſuſcipit, in via Nancei Ill. Profeſsoris JADELOT amicitia uſurus, cujus quondam me Muſsiponti contubernalem fuiſse non ſine animi mei oblectatione ſumma recordor, quique nuper novam pulſus theoriam exponens omnem medicorum attentionem ſummopere ad ſe traxit. Cum jam in ſcientiarum oceano et in noſocomiis Pariſiis verſaretur, a medicis primariis potentiſsimi Regis Galliae, ſcilicet a viro de anatome et praxi clinica meritiſsimo ILL. LIEUTAUD, atque a ſcriptis ſuis, teſte academia pariſienſi regia, a magno, et clariſsimo eruditiſſimoque ILL. DE LA SONNE optime excipitur. Literatiſsimis Collegiis anatomicis Profeſsoris PORTAL, nec non illis acutiſsimi viri VICQ d'AZIR, et perſpicacis ac laborioſi DESSAULT fruitur: ne autem quidquam, quod ad hiſtoriam anatomicam medicamque pertinet, praetermitteret, ſcholas veterinarias, earumque praeparata viſitat, ſimulque apud celeberrimum D'AUVANTON ſe inſinuat, ut eo exquiſitiorem anatomiae comparatae hauriret notitiam, quam in rem vir hic magnus, cum et induſtria emineret, et ſimul collectioni regiae praeeſset, conferre plurimum poſset. Sic perbenigne quoque exceptus fuit a medicis Lutetiis in praxi celeberrimis Illuſtr. viris BOUVART, PORDEU, LORY, PETIT, MI-

CHEL, GUILBERT, COLOMBIEUX, MALOET, LE ROY, et praeſtantiſsimos pariſienſium chemicos Ill. viros MACQUER, BEAUME, ROUELLE, CADET, et nuper primum labori ſuo, cum arſenici vires experiretur, immorientem ROUX audire non neglexit. Maximae autem curae ipſi pariſiis fuit chirurgia, veneratus in hac gallorum metropoli CL. DE LA FAY, tum adhuc viventem, virum de chirurgia meritiſsimum. Admiratus eſt apud optimum ſenem collectionem inſtrumentorum, quam aeri incidendam deſtinaverat, ſic diſpoſitorum, ut ipſos inſtrumenti natales intueri videaris, atque manibus quaſi palpare, quantum illa per artem et ingenium, tractu temporis, acquiſiverint incrementum. Vidit ibidem in operando felices, fama publica celebres, et eruditione clariſsimos chirurgos, LOUIS, SABATIER, BORDENHAV, FERAND, et in operationibus expeditum MORAUX. Ut autem nihil negligeret, quod ad ſcopum ſibi propoſitum faceret, phyſicam ſane inter principes medicinae partes numerandam pariſiis non prætermiſit, admirando dexteritatem in inſtituendis experimentis cl. BRISSON et DE LA FOND. Nec contentus illis erat, quae in gallorum metropoli inveniret; illa quoque, quae reliquae Galliarum Provinciae ſuppeditarent, adminicula avide quaerit. Rothomagum igitur ſe confert, illo ipſo tempore, quo ſectiones lithotomiae ibidem inſtituerentur frequentiſsimae. Admiratus hic eſt cl. DAVID chirurgum ingenioſiſsimum ſimul et dexterrimum, in morbis oſsium curandis ſingulari induſtria efficaiſsimum; nec minus in Botanicis inſignem cl. PINARD. Inſulis in Flandria magnum invenit practicum in Ill.viro DESMILLVILLE.

Poſt

Poſt ſpatium duorum in Gallia tranſactorum annorum nunc in Britanniam, fertilem illam medicorum obſervatorum matrem, alteram medicorum Graeciam felicibus remis vehitur. Londini advenit, et ſimul eruditiſsimos in Medicina admiratur, viros et medicos primarius, Ill. Doctores THOMAS Equitem Baconnethum, PRINGLE, et nuper defunctum MATTY. In practicos quoque ibi feliciſsimos incidit Ill. viros FOTHERGILL, HUCK, NOOTH, FORDICE, SANDERS, HULME, SIMS, BACKER, LITTROM etc. acceſsum ad cimelia clar. virorum HUNTER fratrum per condignos eorundem diſcipulos feliciter nactus, quorum alter, quantum in anatomicis excellat, recentiſsimum opus de utero humano teſtatur. Hujus in aedibus invenit apparatum praeparatorum anatomicorum tam admirabilem, ut omnes, quos in longo itinere vidit, multum ſuperaret. Alter vero fratrum iſtorum ex ſummo erga anatomen comparatam et chirurgiam amore ad utriusque ſcientiae perfectionem non parum contribuit. Ardens Fiſcheri noſtri erga chirurgiam amor illum ad noſcendos etiam praeſtantiores Londini chirurgos impulit. Invenit hac in arte excellentes et acutiſsimos viros Pott, BRUMFIELD, CAESAR. HAWKINS, JUSTAMOND, ELSE et plures alios artis peritos, qui a CHESELDENI et SHARPII primum temporibus affatim ſurgebant. Dum autem a non fucata, ſed efficaci medicorum et chirurgorum Londini praeſtantia in admirationem rapitur, unde celeberrimi hi viri ſuam potiſsimum hauſerint ſcientiam, adire cogitat: Edinburgum petit. Hic venerab. Senis Ill. CULLEN Profeſsoris Theoria et praxi conſummatiſsimi collegia per ſex menſes indefeſse et cum uberrimo fructu frequentat a celeberrimo quoque anatomico Ill. MONRO, in chemicis notiſsimo BLACK, et Prof. HOME diſcendi non negligens occaſiones. Coram

lecto aegrorum omnia naturae molimina graeca exactitudine examinantem invenit Ill. HOPE, practicum efficaciſsimum. Ut autem quo in pretio ibi eruditiſsimis quibusque Viris fuerit, Edinburgenſis Medicorum Societas demonſtraret, illum diplomate ſocii ordinarii a ſe diſcedentem exornat. Stupendum, quem cl. Fiſcher ibidem invenit candidatorum medicorum numerum ad quadringentos excurrentem hic praetermittere non poſsum. Non autem hujus confluxus eadem eſt conditio atque natura, quæ quondam Romae fuit, cum Theſſalus TRALLIANUS, vaniſsimus ille, merito ab Ill. HALLERO (aa) nominatus ιατρονίκης, artem intra ſextum menſem ſe perdocturum promitteret, ſed uti magnus immortalis BOERHAAVII commentator SWIETENIUS (bb) de rara felicitate gloriatur, viginti fere annorum ſpatio Boerhaavii inſtitutionibus frui potuiſse tam publicis, quam privatis; ita Edinburgi Diſcipuli ſunt, qui jam per quindecim et ultra annos ab ore profeſsorum pendent, non autem de illorum veteranorum conditione, qui in Academiis contagium ſaepius morum ſpargunt, ſed qui exemplo et eruditione advenis et tyronibus ſuam familiaritatem gratam, et utilem faciunt, mira in univerſitatem omnem utilitate, cum nullis fere ibi legibus academicis opus ſit, exemplo veteranorum iſtorum ipſis legibus efficaciore. Edinburgo Londinum redit; antequam tamen Britanniam relinqueret, Oxonium petit. Hic diverſum ab omnibus aliis univerſitatibus inſtitutum reperit, totam urbem a duobus univerſitatis Rectoribus gubernatam. Pretioſiſsimum vidit ibidem conſtrui obſervatorium

(aa) Meth. ſtud. med. p. 820.

(bb) In praef. Comment.

rium, prae omnibus ante per longa itinera a ſe viſis, praeſtans magis, ſplendidumque. Quod medicinam attinet, Botanicam praecipue hic cultam obſervavit Britanniam tandem relinquit, et in Belgium feſtinat. In Univerſitate Leidenſi, ſede illa, quam quondam medicinae oraculum BOERHAAVIUS et Anatomicorum facile Princeps ALBINUS incoluerant, ſibi gratulatur vidiſse duo illa germanorum decora GAUBIUM et HAHNIUM viros hoc noſtro ſaeculo ſcriptis et eruditione celeberrimos, atque Ill. van DOEVEREN, morborum a principio vitali oriundorum examine occupatum. Cum ibidem ab egregio Anatomico SANDIFORT quam humaniſsime exciperetur, ALBINUM etiam poſt fata ſuperſtitem admiratus eſt in praeſtantiſsimo praeparatorum anatomicorum theſauro, Oſteogeniam et Phyſiologiam ſummopere illuſtrantium. Amſtelaedami occaſionem ſibi opportunam non praetermiſit adeundi cl. Botanicum BURMANN et Ill. HOVIUM praxi et privata quondam Oſsium morboſorum collectione (quae hodie in theatro anatomico Curae cl. Prof. BONNE commiſsa eſt) celebrem. Trajecti ad Rhenum ſenem OOSTERDYCK SCHACHT viridi adhuc ſenectute fruentem invenit, et Rotterdami inter multa curioſa apparatum anatomicum elegantem ſub directione cl. Prof. VINCK. Qui per omnem hunc itinerum tractum cl. Domini Licentiati Fiſcher circa omnia ad medicinam ſpectantia ſcrupuloſam exactitudinem perpenderit, hic etiam facile concludet, quantum pretioſiſsimas in Belgio hiſtoriae naturalis collectiones luſtrando, in hac ipſa ſcientia eruditionis theſaurum collegerit, noſtras quoque collectiones novis inde incrementis non parum aucturus. Neque miror ego: eum non ſolum Academias celeberrimas quasque, ſed alia etiam loca, quae ad medicinae celebritatem faciunt

ciunt, ſumma attentione exquiſiviſse. Celeberrimos hinc Belgio confines fontes Spadanos, et ſaluberrimas thermas Aquisgranenſes adit. His fontibus praefectum Ill. de LIMBURG, practicum inſignem, et circa theoriam reſorptionis plurimum occupatum cl. MAILLARD, multosque alios extraneos intimius noſse, gaviſus eſt. In thermis Aquisgranenſibus principem Medicum vidit Ill. HEUSCH, eademque occaſione invenit virum ſumme eruditum, ex Holſatia illuc profectum Univerſitatis Chilonienſis profeſsorem BERGER; Trajecti ad Moſam familiariter uſus eſt dexterrimo chirurgo HOFFMANN. Coloniam pergens in itinere Düſseldorpii viſitavit medicum celeberrimum Ill. BRUCHMANN et OTTENTHAL; Coloniae Ill. Prof. MENN, virum eruditum et in praxi praeſtantem; gaudebat et hic invenire ſuum quondam apud Argentoratenſes contubernalem cl. MAYER, medicum feliciſsimum, et, quem dudum fama et eruditio celebrarat, Ill. Baronem de HÜPSCH. Nunc Confluentiam properat, et in patria mea celeberrimum practicum Ill. COHAUSEN ſenem invenit, medicorum trevirenſium Neſtorem, atque ex viris illis ſuperſtitem, quos breve intra tempus mors invida Treviris ſuſtulit optimum Patrem meum, PETRUM THEODORUM LEVELING, et nuper Ill. SETTEGAST, de Facultate medica et omni Electoratu meritiſsimos; cum et Confluentiae mors haud benignior in medicos eſset. In illa aquarum medicatarum vicinia Thermas Empſanas, fontem Fachingenſem ſub inſpectione cl. Medici ac conſiliarii, et per omnem non ſolum Europam, ſed et per alias mundi partes celeberrimum ſelteranum praetermittere cl. Fiſchero crimen fuiſset, eo magis, cum in examinando aere fixo occupata Anglia inde potiſsimum aquae ſelteranae vires deducendas eſse praetendat. Gratum

tum ipſi erat ſpectaculum, mandato ſereniſsimi Electoris CLEMENTIS WENCESLAI ſub Directione Archiatri Ill. HAUPT ita ad illum fontem ordinata eſse omnia, ut aquae ibidem jam non ſolum melius lagenis concluſae ad exteros transmitti, ſed et illi, qui ipſum adire fontem volunt, commoda quaeque invenire valeant. Hac quoque occaſione magnum Jenenſis facultatis Anatomicum, de nervis hoc noſtro ſaeculo cum defuncto jam MECKELIO meritiſsimum Ill. Prof. NEUBAUR invenit, cujus vacillantem ſanitatem ab harum aquarum uſu jam tum aliquantulum reſtauratam fuiſse, laetus ſane mihi nuntius fuit. Viſitat etiam acidularum Swalbacenſium fontem, et experimenta proprios in uſus inſtituit. Moguntiae tandem Ill. STRACK, virum in theoria ſubtilem, in praxi ſumme efficacem inveniſse teſtatur. Medicos ſibi quam maxime amicos Francofurti expertus eſt Viros clariſsimos PACGUAY, et MULLER. Sed ſuis tandem itineribus brevi finem impoſiturus hoc noſtro ſaeculo et a celebritate profeſsorum et ab eruditiſsimis operibus praeſtantem Germaniae Univerſitatem Goettingenſem accedit, in via tamen occaſionem non praetermittens inviſendi Univerſitatem Gieſsenſem, et inter Profeſsores eminentem practicum cl. BAUMER, item celebrem chimicum CARTHEUSER, in arte obſtetricia verſatiſsimum virum NEBEL. Caſselis fama et editis nuperrime praelectionibus circa artem obſtetriciam meritiſsimum virum cl. STEIN, et quem Trajecti fruſtra quaeſiverat, cl. CLOSSIUM hic tandem reperiſse ſibi gratulatur. Goettingae denique omnem academiam ſtudiis, ut ejus verbis utar, ferventem invenit. Eruditos enim ibidem viros noctu diuque occupatiſsimos tum in erudiendis Candidatis quam plurimis, tum in elucubrandis operibus ad illuſtrandum

dum magis ſaeculum noſtrum literatiſsimum admirari ſatis non potuit. Ibidem in Facultate medica, quae ob illud artis noſtrae oraculum magnum Hallerum immortalis eſt, hujus magni viri veſtigia premere vidit Ill. Baldingerum, quem merito bibliothecam animatam nominat, in Botanicis Ill. Murray, a quo Medicina praeſtantiſsimum Materiae medicae armamentarium jam in primo tomo obtinuit, avide partus reliquos expectans; In anatomicis Ill. Wrisberg, qui uti in ipſis regiae ſocietatis actis videre eſt, obſervationibus pulcerrimis omnem artem aſclepiadeam novisque mediis ditavit, aliis praeterea obſervatis egregiis ulterius illuſtraturus; in chirurgicis vero Ill. Richteri et eruditionem et dexteritatem ſummopere depraedicat. Goettingenſium ſimul celeberrima libere Bibliotheca utebatur, armamentario illo, ac tam veterum, quam recentiorum ſcientiarum theſauro. Jam quos in Saxonia quoque et Poruſsia ars noſtra praeſtantiſsimos hoc ſaeculo viros haberet, intimius noſse, animus erat, et per Bohemiam et Auſtriam redire; ſed altiora conſilia longiori itineri limites poſuere. Langenſalzam igitur pergit, Medici ibidem eruditi Ill. Steller amicitiam ſibi comparat, et de chemia meritiſsimi viri cl. Wiegleb familiaritatem. Directo inde Gotham itinere, a celeberrimis ibidem viris medicis Ill. Sulzer et Grimm humaniſsime excipitur. Magis atque magis ſic Fiſcherus noſter patriis laribus appropinquans Herbipoli ad conſummatiſsimos in praxi Archiatros Ill. Willhelm, et Ill. Ehlen inviſendi, atque anatomiae et Chirurgiae Profeſsori Siebold, qui ex innato erga litteras Illustriss. Familiae Seinshemianae amore et munificentia REVERENDISSIMI ET CELSITSIMI PRINCIPIS ſimile quondam iter literarium ſuſceperat, itine-

itineris ſui rationem reddendi occaſione mirifice delectatus eſt, eo magis, cum et in ipſo medicinam cum chirurgia arctiſsime conjunctam, et miram in colligendis oſsibus morbidis ſedulitatem non potuerit non admirari. Jam vero ad finem itineris motus fieri velocior videtur properantis Fiſcheri, et ad pedes Sereniſsimi ac Munificentiſsimi ſui PRINCIPIS ELECTORIS AC DUCIS MAXIMILIANI TERTII Monachium auolantis, ubi a sereniſsimo ſuo Maecenate pro innata erga ſubditos et literatos praecipue benevolentia et gratia clementiſsime excipitur; non parum ſibi et patriae opus, quod in Fiſchero meditatus eſt, confectum gratulante Equite WOLTTERO, reducem ſcilicet tantae ſpei virum, chirurgo-medicum perfectum. Enimvero cum a ſcientiis philoſophicis et mathematicis jam ante imbutus optime, ad artem chirurgicam primo, ac dein ad ſtudium medicum vires ſuas omnes, ſeque totum impenderit, et nunquam Medicinam a Chirurgia ſejunxerit, cum per tot annos et praeſtantiſsimorum Medicorum et dexterrimorum Chirurgorum inſtitutionibus, amicitia, et familiaritate per multas Europae partes uſus fuerit, quis veſtrum, Patres academici inficias ibit, virum eſse patriae utiliſsimum? Et ſane quid patria non ab eo jure expectet, quem chirurgo-medicum Phyſica, Chemia, Hiſtoria naturalis in omni hoc ſuo itinere individuae ſociae comitatae ſunt, et virum efformarunt, qui magnam perfecti Medici menſuram adimpleat. „Non enim ulterius aegrotorum lectulis „ſolum, optime dicit Ill. SPIELMANNUS (cc), alligantur „homines, qui rite medicinae operam dederunt, et non „ex infortunio tantum hominum et queſtum et famam

D quae-

(cc) Inſtitut. chem. in praef.

„ quaerunt noſtri alumni; quin illi qui medicorum ſcho- „ las eo quo decet modo frequentant, ſiqui alii, pares „ ſunt principibus conſilia dare, terrae, cui praeſunt, „ gazis ita utendi, ut et publica et privata ſingulorum „ commoda optima ratione promoveantur. „ Tales autem cum jure tuo deſideres, atque efformari jubeas, ELECTOR SERENISSIME; eſt ſane, cur pro tanta in Fiſcherum noſtrum munificentia et pro immortalibus in Medicinam et Chirurgiam tam Anglipoli, quam in omni Bavaria beneficiis gratitudinem demiſsiſsime teſtari, in primis noſtris officiis numeremus; atque cum tuo ſub Regimine felicitatem Auguſti, pietatem Numae, vigilantiam caeſaris, bonitatem Trajani admiramur, illis Ill. de la PERONYE (dd) verbis ad Regem Galliae tibi merito gratulemur. „ Scien- „ tiae regiminibus etiam feliciſsimis novum ſemper addidere „ ſplendorem; ſcientiae principibus illarum fautoribus mo- „ numenta erexere aere et marmore firmiora, nec ulla tem- „ porum injuria unquam ſubruenda. „ Tam munifica autem Principis clementiſsimi conſilia cum mira ſedulitate exequatur illius PROTO-MEDICUS, hujus in rem medicam meritis grata aſsurget poſteritas, quamdiu curae erit ſua cuique ſanitas. Tibi quoque Vir doctiſsime mox inter doctores numerande id ſincere amicoque animo precor, ut qui Veſalii ad exemplar tam ſtrenuus et Medicinae et Chirurgiae ſis cultor, etiam cum illo quondam gloriari poſsis, non debere te ulli in Europa medico invidere. Et ſane fortunam tibi illa VESALII longe conſtantiorem auguror, cum noſtro ſaeculo non tam facile accidat, ut, quod expertus eſt VESALIUS, terreant ignorantiſimi rerum gnaros. Nec dubito, nomen tuum in hiſtoria literaria ſaecu-

(dd) Acad. Reg. Chir. in dedicat.

ſaeculi decimi octavi tam celebre ex doctis tuis profectionibus futurum, ac illud popularis tui GRYLLII ſaeculo decimo ſexto. Merito igitur doctiſsime Domine Licentiate, poſtquam et in patria noſtra, et in aliis Europae Univerſitatibus ſecundum HIPPOCRATIS ſententiam ſacra medica tibi abunde demonſtrata ſunt, tam in examinibus publicis, quam in publico ſpecimine cum eminentiae etiam laude hoc palam feceris, a ſaluberrima facultate coronam Doctoralem jure optimo expectas.

PAPPENHEMII,
Typis Joannis Jacobi Seybold, Typographi Aulici.

